



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

§. 31. Novi motus in Belgio contra Gilbertum Duacensem Doctorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

§. XXXI.

Sæc. XVII.
A. C. 1687.*Novi motus in Belgio contra Gilbertum.*

Hucusque Jansenistæ seu obsequiosi silentii Professores ob metum Molinistarum ad omnes eorum motus semper excubantium, in libris a se editis doctrinam suam de gratia circumspicte, ambigue, verbisque ad Catholicum sensum facile inflectendis tam dextere obvelabant, ut a suis hostibus palam condemnari haud possent: audacius autem anno priori Gilbertus in Duacensi Academia Doctor & Professor Regius ac Præpositus ad S. Amandum necnon Universitatis Cancellarius scripsit, hac que moderatione haud utendum ratus, tractatum de gratia suis Discipulis dictavit, de Jansenii doctrina suspectum: Quamprimum de eo notitia ad Molinistas pervenerat, confestim hi duo exemplaria eorum, quæ Gilbertus dictaverat, ad Patrem de la Chaise Jesuitam Regisque Confessarium transmissere, qui hunc Doctorem apud Ludovicum XIV. Regem tanquam apertum Jansenii fautorem denunciavit: Igitur Rex Harlæo Parisiensi Archiepiscopo in mandatis dedit, ut Gilberti scripta examinari juberet. Seliguntur hanc in rem qua-

Mem. Chron. & Dogm. Abrege de l'Hist. Eccl. t. 13. p. 378. Hode Hist. de Louis XIV. l. 44.

Hist. Eccles. Tom. LXV. Hh tuor

Sæc. XVII. tuor Sorbonæ & Navarræ Doctores, quæ
 A. C. 1687. factò maturo examine die 28. Jan. retraherunt, in his scriptis non obscure, aut captim vel paucis verbis, sed aperte, atque ex instituto, necnon extrema pertinacia & studio Jansenii doctrinam stabilitate atque exprimi, insuper ingeniosas utraque bile plenas expressiones pro morum Novatorum addi, fraudulentisque interpretationibus summorum Pontificum Constitutiones eludi, atque ad peregrinos, penitus ab eorum mente alieno sensus detorqueri: denique venenatis Scholis tantopere perniciosum adeo per omnia scripta diffundi, ut corrigi haud possint, nec aliud ad tollendum scandalum inde exortum supersit remedium quam ut auctor moveatur cathedra atque ad publicam, disertamque retractationem compellatur: *quapropter addebant Censores, judicavimus, in Duacensis Academice pernicie hujus scripti Auctori haud ultra docendi munus committi posse.* Pronuntiata horum sententia Gilbertus suo munere & urbe abire iussus Insulas secessit, ad oppidum S. Quintini, ubi die vigesima septima Julii suas opiniones retractavit: Postea Severus de Rochechouart Atrebatensis Episcopus, in cujus Diœcesi Gilbertus hos errores docuit, ne suo deesset muneri hujus Doctoris scripta pervolvit, & ab aliis

aliis etiam discussa die decima tertia Sæc. XVII.
 Augusti tanquam continentia doctrinam A. C. 1687.
 falsam, temerariam, per Pontificias
 Constitutiones ut hæreticam damna-
 tam, verbis injuriosis, & contra Theo-
 logos Catholicos livore Charitati Chri-
 stianæ opposito repletis conceptam dam-
 navit. Hac Episcopi censura irritatus
 Gilbertus, suæque palinodiæ oblitus,
 ab Episcopi sententia provocavit, de-
 claravitque, in suo tractatu nullam re-
 periri propositionem, quæ non oppido
 Catholica foret, demum vero consilio
 cum Quesnello tum Bruxellis latitante
 communicato retractationem suam re-
 vocavit, atque in censores censuram
 ferre præsumpsit.

§. XXXII.

*Contentio de confessione annua de-
nuo suscitata.*

Hoc rursus anno recruduit contentio
 de confessione annua, quam Sy-
 nodus Lateranensis V. proprio Sacer-
 doti fieri præcepit, aut alteri appro-
 bato; quamvis enim Clemens X. die
 vigesima tertia Maij anno hujus sæculi
 septuagesimo definierit, fideles satis-
 facere, si Religiosis etiam in Paschate
 confiteantur, & ipsemet Franciscus
 Harlæus Parisiensis Archiepiscopus in
 Hh 2 comi-